31453/B

56905

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

SISTENS

BREVEM CONSPECTUM VIRIUM NATURÆ HUMANÆ MEDICATRICIUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,
MEDIC. DOCTORIS, EJUSDEM AC CHEMIÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORIS ORDINARII, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUS. ET NASSOV. ARCHIATRI.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

JOHANNES JACOBUS KOELMAN,
AMSTELÆDAMO-BATAVUS.

Ad diem 4. Februarii MDCCLXIII. *Hora Decima.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, 1763.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

SISTENS

BREVEM CONSPECTUM VIRIUM NATURÆ HUMANÆ MEDICATRICIUM.

LECTURO AUCTOR S.

Præfaturus quædam ad ea, quæ hic continentur, id monitum te velim, L. B. non alia quidem de cauſſa in lucem emitti, quam ut uſibus, Academiæ acceptis (bibliopegis tamen magis quam orbi litterato proficuis) fieret ſatis. Neque mirere novi te nihil, aut nihil inauditum hic inventurum; propriis enim obſervatis nondum ſatis edoctus, quid proferrem, quod non Illis, quorum præceptis imbui licuit, Eruditis Viris, acceptum ſit referendum, non habebam; quod & hic publice teſtor, gratesque pro datis inſtructionibus ago quam maximas: nihil proinde gloriæ hinc mihi expoſtulo. Tibi vero, Lector, ſi quæ ſeu legiſti alibi, ſeu audiviſti, hic repetiiſſe placet, erit quod mihi gratuler. Vale.

Natura quæ noctes atque dies noſtris rebus invigilat conſulitque, ſponte ſua mirum in modum machinatur, quo ægrum —— muniat ac tueatur.
SYDENHAM.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

HERMANO KOELMAN,

MEDIC. DOCTORI, PRAXIN CLINICAM APUD AMSTELÆDAMENSES FELICITER EXCOLENTI, OMNI, QUA FILIUM DECET, PIETATE, SEMPER PROSEQUENDO.

NEC NON

VIRO ERUDITISSIMO

ANTONIO WILHELMO SCHAAF, CAR. FIL.

MEDIC. DOCTORI, EJUSDEM URBIS, UT ET MORODOCHII, QUOD IBIDEM EST, PRACTICO FELICISSIMO, AMICO INTEGERRIMO, STUDIORUM SUORUM PATRONO AC FAUTORI SINGULARI, GRATA USQUE MENTE COLENDO,

Has qualescumque ſtudiorum ſuorum primitias

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

BREVEM CONSPECTUM VIRIUM NATURÆ HUMANÆ MEDICATRICIUM.

§. I.

Si Medicina, quemadmodum illam rectiſſime definivit in Pathologicis Cl. *Gaubius*, eſt *ſcientia ac prudens directio virium Naturæ humanæ ad vitæ & ſanitatis a morbis & morte tutelam;* requiritur omnino ut is, cui ejus excolendæ incumbit provincia, quique nomen Medici recte vult mereri, id in primis operam-

det, ut has Naturæ Humanæ Vires, quantum pote, ſibi cognitas habeat & perſpectas; ut ſcilicet huic Scientiæ felicem deinceps Praxin (ad quam, veluti ad ſcopum, quidquid Theoria tradit, dirigitur) ſeu prudentem illarum Virium directionem, ſuperſtruat.

§. II.

Quamvis autem dictarum Virium (§. I.) cognitio in ſola fideli obſervatione ſita ſit, exiſtimandum tamen non eſt, ſufficere, has ex aliorum aut propriis didiciſſe obſervatis; priusquam enim id uſui eſſe poteſt, præmittenda eſt naturæ humanæ, ſeu ipſius hominis, cui inſunt, cognitio; & quid ſit vivere ac ſanitate frui; quid mori morbisve affligi; ut illa, quæ ſecundum naturam dicuntur, conſervare; hæc vero, quæ præter naturam audiunt, avertere queat Medicus: *rationalem* enim, inquit *Celſus*, *puto medicinam eſſe debere*: fundamentum autem rationis ex dictis petendum.

§. III.

Hominis igitur cognitione præmiſſa (§. II.) ipſæ Vires Naturæ Humanæ contemplandæ veniunt, quarum triplex fons; Mens ſcilicet, Corpus, Res Externæ; quæ vero ex his Mentem ſpectant & Corpus, iterum tripartitæ, in Conſervatrices, Deſtructrices, & Medicatrices dividuntur; quam diviſionem nec Res Externæ etiam reſpuunt, ut pote quarum poteſtates commodiſſime ad Salubres, Noxias, Medicatas relegantur: omnium quidem harum Virium pertractatio & perutilis & jucunda admodum,

dum, at longum opus, nec unius voluminis; cum vero hoc thema mihi præ ceteris adrideret, elegi *Vires Naturæ Humanæ Medicatrices*, quarum non abſolutam omni numero pertractationem (quam viribus imparem ſentio) ſed brevem tantum contemplationem, ſequentes pagellæ continebunt.

§. IV.

Ut autem ordine quodam procedatur, videamus prius, quid Natura humana, quid Vires Naturæ humanæ medicatrices?

§. V.

Natura igitur, Gr. φύσις, antiquum illud Hippocratis vocabulum, quid deſignat? nihil aliud ſecundum ſententiam Cl. Boerhaavii Commentatoris, *niſi aggregatum omnium conditionum phyſicarum, quæ requiruntur, ut vita ſit conſtantiſſima, durabiliſſima, & ſimul agiliſſima, ſed hæc*, inquit, *eſt perfecta ſanitas: ſi aliquid deeſt, eſt Natura deficiens, & ille defectus morbus eſt:* verum quum æque naturale ſit, mori & morbis affici, quam vivere & ſanitate frui, malumus cum Cl. *B. S. Albino* (cujus me ſcholis innutritum glorior) per Naturam humanam intelligere *omnia, quæ Homini, quam diu vivit, propria ſunt;* quæ quidem concinna definitio ad quatuor dictas conditiones naturales ſe extendit, cum prior non niſi ſanitati perfectæ congruat.

§. VI.

Hanc Naturam humanam triplici Virium genere ſe

diſtinguere, ſupra (§. III.) diximus, quarum illæ, quæ Virium Medicatricium nomine veniunt, nobis dicuntur, *quidquid Natura moliatur, ut ſua cuique conſtet ſanitas, ut morbum, ſi qua data porta irruperit, vincat:* ſeu omnia illa Naturæ molimina, quibus ſeſe a morbis & morte tueatur, Vires Naturæ Medicatrices dicendæ ſunt.

§. VII.

Ex dictis ergo (§. præced.) patet, hinc excludi reliquos Naturæ motus, qui non ſanitatem, ad quam omnes directi eſſe debent, pro ſcopo habeant; neque tamen illos inde debere excipi, qui, quamvis eo tendant, a morbo ſæpe vincantur: conſtat præterea, non requiri, ut hi naturæ motus perfectam ſanitatem pro prœmio victoriæ reportent, ſed ut *ſuam* tantum cuique præſtent incolumem: ſanitas enim latitudinem quandam habet, ſemper plus minus ab illa deflectentem, quam perfectam concipit Phyſiologia.

§. VIII.

Videndum nunc paucis eſt, utrum tale quid in homine detur, cui nomen Virium Naturæ Medicatricium rite competat: at cum nihil hic, quod jam ſupra innuimus, (§. II.) a priori, ſeu per ratiocinia, valeamus, ſed ex obſervatis id omne hauriendum ſit, longe quippe tutiſſima via, & veris Naturæ Contemplatoribus hodie adoptata; utendum erit illorum teſtimoniis, quorum candor fidesque omnibus probata, quique longo rerum uſu de his pronuntiare potuere.

§. IX.

§. IX.

Incipiamus a *Sydenhamo*, fideliſſimo illo Naturæ obſervatore & duce optimo, qui, ut paſſim in ſuis ſcriptis has Naturæ Vires inculcat, ita inquit in Sect. I. Cap. 1. ubi egerat de duplici morborum cauſſa, in particulis aëreis nempe & humorum degenerationibus ſita, his verbis: *hiſce rerum circumſtantiis ita intime eſſentiæ humanæ intertextis complicatisque, ut nemo quisquam ſe ab illis in ſolidum queat liberare, Natura de ejusmodi methodo ac ſymptomatum concatenatione, ſibi proſpexit, quibus materiem peccantem atque alienam, quæ totius fabricæ compagem aliter ſolveret, e ſuis finibus poſſit excludere:* additque, quod Natura, longe quam fieri cernimus frequentius, illum ſanitatis ſcopum attingeret, niſi ab ignaris a recto, quem tenet curſu, detorqueretur. Sed longe apertius idem declarat Sect. V. Cap. 2. dum dicit: *Et ſane mihi nonnunquam ſubiit cogitare, nos in morbis depellendis haud ſatis lente feſtinare, tardius vero nobis eſſe procedendum, & plus Naturæ ſæpe numero committendum, quam mos hodie obtinuit. Errat enim, ſed neque errore erudito, qui naturam artis adminiculo ubique indigere exiſtimat, namque id ſi fieret, parcius humano Generi ea proſpexiſſet, quam poſtulat ſpeciei conſervatio; cum ne minima ſit proportio inter morborum ingruentium frequentiam, & facultates, quibus pollent homines ad eosdem fugandos, vel iis ſeculis, quibus medendi ars maxime caput extulit, & a quam pluribus exculta eſt.* neque *Sydenhamo* primum, ſed &, ipſo teſte, antiquiſſimo *Hippocrati* idem jam

olim obſervatum, ſcriptisque relictum poſteris; dicit enim Medicorum ille Princeps Lib. VI. C. 7. p. m. 184. *Naturæ morborum medicatrices.* —— *Natura ipſa ſibi per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones obeundas, invenit* —— *a nullo quidem edocta Natura citraque diſciplinam ea, quæ conveniunt, efficit.* & in libro de alimento Sect. IV. p. m. 381. *Natura omnia omnibus ſufficit.* idem & Latinus ille Hippocrates, *Celſus*, agnoſcit, dum dicit in Libro 3. Cap. 1. ubi de morborum generibus agit; *in nullo quidem morbo plus fortuna ſibi vindicare quam ars: ars, quam natura, poteſt: utpote cum, repugnante natura, nihil medicina proficiat.* quæ quidem omnia Recentiorum ſcriptis probari, vel ſola immortalis *Boerhaavii*, æquiſſimi ſcilicet in his judicis, Praxis Medica abunde docet; & ex his patet, quare aperte dicat Cl. *Gaubius* in Pathologicis (§. 18.) *Præcipuum univerſæ Medicinæ fundamentum in ipſa hominis Natura ſitum eſſe, ſuis hanc viribus ſolam, ſine Medico, plerorumque tueri ſanitatem, morbis mederi.* additque: *Curioſa Naturæ obſervatio, imitatio, ut primam arti originem, ita incrementa dedit dabitque porro. Medici Naturæ miniſtri.*

§. X.

Et hæc quidem clarorum in arte medendi virorum teſtimonia (§. IX.) ſufficere mihi viſa ſunt, ad dictarum virium (§. VIII.) exiſtentiam adſtruendam, præſertim quum eadem illa Natura, quæ ipſis hæc obſervandi occaſionem dedit, erga nos quoque benefica, eadem quotidie Praxin Clinicam exercentibus doceat, *Natura* enim

nim *humana*, *ſtatis a Creatore legibus finita*, *per ſimilia individua ſeſe multiplicans*, *omni tempore eadem*, *ſub iisdem conditionibus eodem ſemper modo agit ac patitur.* *Gaubius* ibid. §. 20.

§. XI.

Quæ huc usque de viribus Naturæ Humanæ Medicatricibus in genere dicta ſunt, jam propius examinanda veniunt, videndumque quid quæque per ſe præſtet officii, quid valeat in tuenda ſanitate; quum vero & Mens & Corpus ſuam hic ſymbolam conferant, recte etiam utrique hæ vires tribuuntur, & cujusque poteſtas ad examen revocatur; quod ut aptius a me fiat, fidelem hic ducem, & optimum Præceptorem ſequar Cl. *Gaubium*; cujus de hoc themate caput exſtat in Pathologicis, unde ut ordo deſumetur, ſic quandoque & exemplis, quæ in laudati Præceptoris ſcholis accepimus, utendum erit, ut ſcilicet dicendorum clarior habeatur intelligentia.

§. XII.

Ac primo quidem loco hic ſeſe offert *Facultas Nutriendi*: vitæ enim actione continuo aliquid decedit, quod ni repararetur, brevi de nobis actum foret; nam vita, ſemper actuoſa, cum flamma quodammodo comparari poteſt, quæ, niſi pabulo ſuſtentetur, ſenſim decreſcit, donec penitus exſtinguatur: motus igitur ille vitalis, cum ſemper aliquid deterat, inutile faciat, & per emunctoria naturalia expellat, neceſſe erat, ut huic inevitabili morborum mortisque cauſſæ, certiſſimum reme-

medium opponeretur, quæ eſt dicta facultas, tantæ quidem latitudinis & efficaciæ, ut apud Phyſiologos, qui, ut notum, omnes humani corporis actiones ad tria ſumma capita reducunt, Vitalium ſcilicet, Naturalium, & Animalium Actionum, unum ex his caput ſibi totum vindicet, Naturales Actiones, per quas illas intelligunt, *quæ faciunt ut corpus impleatur talibus, qualia amiſit, ut tot & talia apponantur, quot & qualia defecerunt:* uti inquit Cl. *Swietenus* ad Boerh. aphor. pract. Reparatur autem jactura hæc per alimenta, cibum nempe & potum, ad quæ ingerenda fame & ſiti, ſtimulis naturalibus, urguemur & incitamur: hæc igitur alimenta corpus ſibi in nutrimentum vertit, nam ut rectiſſime dicit modo laudatus auctor ex *Galeno: quod a ſingulis partibus defluit, tale eſt qualis ipſa pars. Nihil autem eorum, quæ edimus aut bibimus, tale prorſus eſt, hinc neceſſe habuit Natura prius immutare & concoquere illa, & alendo corpori ſimilia prius præparare.* Ut autem hæc Naturæ operatio rite procedat, requiritur tam in aſſumendis, quam in aſſumturo, aptitudo quædam; ac primo quidem de aſſumendis ut dicam; quemadmodum non ex omni ligno, ut in proverbio eſt, Mercurius fit, ita non tantum ſine delectu, quodcumque ingeritur, alimenti nomen non meretur; ſed non quodvis, quamvis vel maxime alimentum dicendum ſit, promiſcue quemvis nutrire valet; quod cum vel in vulgus notum ſit, notiſſima etiam eſt diſtinctio, quæ fit inter alimenta, plus aut minus nutrientia, quæ ſolo uſu diſcernere diſcimus. In aſſumturo autem requiritur aptitudo, ſeu facultas aſſumta ſibi in nutrimentum convertendi, ſine qua ne vel optima quidem cetero-

roquin alimenta, quidquam efficient, & quidquid agas, implebis corpus, non vero nutries, quod jam ut malum pronuntiavit *Hippocr.* dum dicit in Aphor. II. 31. *a morbo bene comedenti, nihil proficere corpus malum.* Sequitur ergo hinc, ut in ſanis, ſic etiam in ægris, quos Medicus tractat, alimenti aſſumendi & corporis aſſumturi vires inter ſe convenire debere, ut debitus effectus, nutritio ſcilicet, inde exſpectari queat. Efficit igitur hæc Naturæ Vis in nobis ut ab alimentis aſſumtis creſcamus atque ſuſtentemur, unde etiam quodammodo intelligas, cur Machina noſtra, quæ mox a morte putreſcit, &, dum vita viget, efficaciſſimis corruptelæ inſtrumentis continuo exponitur, aëri nempe & proprio calori, etiam per tot annos ſeſe adverſus hæc incolumem tueatur? expellitur enim, vi vitæ, per emunctoria, quod retentum noceret, per aſſumta autem continuo reparatur & recreſcit, quod diſceſſerat, quod nociturum iterum expellitur, renovatur: reparamur ſic quotidie & renovamur, quod cum a Morte ceſſet, putredo inſequatur neceſſe eſt; & hinc non illepida exſurgit quæſtio, an nempe identidem novi gignamur, an vero id, quod exſtitit primum, cum orti ſumus, permaneat, ac tantum ſuſtentetur? quidquid hujus ſit, id ſaltim conſtat, & vi ætatis & morborum, & quandoque etiam ob mutatum vitæ genus, homines in aliud atque aliud Temperamentum tranſire, ut dicit Cl. *Gaubius* in ſerm. de reg. ment. p. 80. At ſi tandem a me quæras, quænam ſit illa Nutriendi Facultas? & quo modo agat? quamvis quidem difficile non ſit videre, cur homo in alimentis materiem inveniat, corpori ſuo nutriendo aptam; reſpondeo tamen (quod etiam de reliquis, quæ hic tra-

ctantur, naturæ viribus, dictum velim) rem eſſe abditam & a natura involutam; & cum Cl. *Albino* in ann. Acad. L. III. C. X. agnoſco *vim meliorem hic ſeſe offerre, quæ per partes omnes noſtri corporis fuſa, ubique actuoſa eſt; quam appellare poſſumus vim naturæ, vim phyſicam. Naturæ enim vi, & poteſtate fieri videmus, ut alimentis intra nos, in Naturam noſtram converſis, creſcamus atque ſuſtentemur;* & addit, *ultra videmus nihil.* Præſtat igitur hic acquieſcere, quam hypotheſibus indulgendo, dum plus ſapere volumus, etiam minus intelligere.

§. XIII.

Altera Naturæ facultas ſequitur, *quæ ſolidæ compagis vulnera, fracturas, ulcera, vexata, mutilationes, artificio inimitabili, conſolidat, redintegrat, reſarcit.*

Hæc vis Naturæ omnino ejusdem ordinis eſſe videtur cum præcedenti; (§. XII.) quemadmodum enim Natura illâ intenta eſt ut reparet, quod etiam ſecundum Naturam continua actione vitæ de corpore perit, ita & hac vi reſarcire conatur, quod præter Naturam paſſa eſt detrimentum: merito autem hæc facultas univerſæ Chirurgiæ fundamentum habetur, cum, hac non juvante, vel optima balſama, aut quidquid remediorum generis eſt, quod Chirurgus ſua in arte adhibet, nil quidquam proficient: Naturæ vis eſt, quæ hoc opus perficit, & Chirurgus æque ac Medicus Naturæ miniſter eſt dicendus; atque evidentiſſimum quidem hoc eſt, modo attente inter ſe conferas, quid Natura, quid Chirurgus in his præſtet: Vulneris labia v. g. (ni quid contra indicet,

quod

quod & in reliquis ſupponimus) Chirurgus adducit & adducta tenet; fracta & vexata reponit, faſciis firmat; ulcera ad purum vulnus perducere nititur; mutilata tegit & ligatura munit; reliqua autem, & quæ maxima quidem pars; conſolidare ſcilicet, redintegrare, reſarcire, Naturæ committit, cui etiam tribuendum quidquid adplicata remedia bonorum edant effectuum, quippe cujus vi hæc in actum deducuntur; ut Chirurgus toto hoc tempore, quod ad ſaneſcendum requiritur, tantum attentus adſtet, nec quid mutet aut moliatur, niſi ubi viderit, Naturam vel ſibi ſolam non ſufficere, vel a recto tramite deflectere; quo in caſu videt, num motus excitari, ſopiri vel dirigi debeat; atque ad unum alterumve ex his præſtandum adplicat ſua inſtrumenta, quæ noſſe debet & regere: verum quum & idem officium Medico incumbat, teſte *Boerhaavio* in Aphor. §. 5. mirere certe dari qui Medicinam Chirurgiæ, hancve illi poſtponendam contendant, aut unam præ altera plus certi habere; quod cum hujus loci non ſit dirimere, velim tantum, quibus talia agitare volupe eſt, conſiderent, utrinque dari caſus inextricabiles, dubia multa dari & incerta utrinque; quin, repugnante Natura, quidquid moliatur ſive Medicus ſive Chirurgus, fruſtra cadere; ita ut dum, in pari caſu, rebus utrinque bene peractis, alter de altero conſervato ægro, triumphum reportaverit, non id ſibi victori gloriæ adſcribat, ſed victrici Naturæ, cui victæ alter ſuccubuit.

Quanti autem uſus ſit hanc Naturæ vim in Chirurgicis obſervaſſe, non latuit *Boerhaavium*, magnus ille vir, in ſua methodo, a ſimplicioribus, ad magis compoſita ſemper progrediens, hinc antequam vulnerum

curam adgreditur, præmittit tale vulnus, quod ſola Natura, ſine ulla ope extranea, ſanat, & exacte omnia, quæ ibi comparent phænomena adnotat; quo poſito fundamento, quidquid curationis reliquum tradit, id omne tantum ad hoc opus naturæ ſpontaneum, veluti ad normam, dirigitur.

§. XIV.

Tranſimus ad πεπασμὸν, alterum Naturæ effectum haud minus memorabilem, qui Latinis Coctio dicitur, quam ſic deſcribit *Boerh.* in inſtit. §. 926. *Si Materia morbi prius cruda, per actiones vitæ, aut propriam indolem, vel per medicamenta apta, ſic mutata eſt quoad molem, figuram, cohæſionem, mobilitatem, inertiam, ut minus recedat a ſtatu ſalubri, minus lædat, adeoque impetum morbi minuat, cocta jam appellatur.* & §. ſeq. *ſtatus autem ille morbi, in quo hæc ita fiunt, appellatur Coctio, Maturatio,* πεπασμὸς. *Heurnius* auautem in Comment. ad *Hipp.* aphor. Lib. I. 22. duo genera coctionis agnoſcit, alteram, qua res naturalis, ſeu coquenda, mutatur in naturam coquentis, & hanc *Pepſin* appellari dicit; alteram vero, qua res non naturalis, cauſſa morbi exiſtens, a Natura vincitur, ejusque vi ita mitificatur & ſubigitur, ut jam excerni apta ſit, atque hanc rem, *coctionis participem*, dici inquit; agnoſcit autem utriusque Coctionis, ſolam Naturam cauſſam eſſe, ſeu; ut ſubjungit, *virtutem partium ſolidarum. Swietenus* etiam ad Aph. 587. exiſtimat, *poſſe diſtinctionis gratia* πέψιν *ſive coctionem vocari, qua aſſumta in noſtram Naturam convertantur,* πεπασμὸν ve-

ro,

ro, ſive maturationem, qua per febrim materialis cauſſa febris ſic mutatur, ut minus noceat, & apta evadat, ut expurgari commode poſſit; quam diſtinctionem inter has duas voces nonnunquam apud auctores inveniri, non ita tamen exacte ſemper, ut non hæc pro illa, aut vice verſa ponatur, ibidem adnotat; quidquid ex his ſit, cum cuique integrum ſit ſenſum vocibus pro arbitrio dare, modo id præmonuerit, ſi a communi methodo receſſerit, & hanc etiam diſtinctionem minime improbamus, cum apprime conducat, præſertim ubi de duabus his actionibus ſimul ſermo inciderit, has ita diſtinxiſſe, ut omne ſuperfluum in dicendo evitetur, agnoſcendum tamen omnino eſt, ipſum πεπασμὸν, ſeu maturationem, de qua hic agitur, in morbis ad duo genera poſſe referri, alterum ſcilicet, in quo morbi materies plane aſſimilatur humoribus ſanis, nulla ſubſequente criſi, aliove morbo, ut diceres hic Pepſin obtigiſſe, non vero Pepasmum, quales caſus obſervantur in iis, qui a largiori paſtu febricitant, & in reſolutione inflammationis non nimis magnæ, uti *Idem* ad §. 595. notat; tum & huc pertinent illæ febres, de quibus ſcribit *Sydenhamus* Sect. V. C. 2. his verbis: *eſt cur arbitremur dari quasdam febrium ſpecies, quas Natura methodo ſibi peculiari ſine viſibili aliqua evacuatione ablegat; reducendo ſcilicet in ſanguinis maſſam, eique aſſimilando materiem illam morbificam, quæ cum eodem minus quadrabat.* alterum vero maturationis genus complectitur, quidquid reliquum hujus operationis eſt, ſed in qua maturatum in corpore manere nequit, & expelli debet atque eliminari; ad duos autem hos Pepasmi effectus reſpexiſſe mihi videtur Cl. *Gaubius*, dum dicit in pathol. §. 637.

ſalubri hac facultate *conditiones noxias eorum*, *quæ morbum intentant aut faciunt*, *ita miteſcere*, *ut vel innocuæ fiant*, quod Aſſimilationem dixeris, *vel ad commodam ejectionem expeditæ*, quod ad Maturationem referre liceat. Qui porro conſideret, Morbos, (niſi illorum materies ſanitati prius aſſimiletur, aut per inſenſibilem perſpirationem ablegatur, aut tandem ipſi in alios abeant;) terminari per abſceſſus, qui, ex diviſione Veterum, vel per effluxum, vel per decubitum in partes quasdam fiunt; quique ex *Boerhaavii* regulis de criſibus didicerit, criticam evacuationem poſt coctionem ſemper bonam, ſed ante coctionem malam eſſe, ipſam vero coctionem ſemper bonam, patet, quare *quidquid in criſibus ſalutare eſt*, *pepasmi virtute potiſſimum nitatur*; & quare tam ſollicite *Hippocrates* monuerit *cocta eſſe movenda non cruda*; denique quare tam accurate ſemper Veteres hunc ſtatum Coctionis in morbis obſervaverint, ut vel hinc de eorum eventu præmonere potuerint.

§. XV.

Pepasmo autem commode ſubjungitur Suppuratio, tum Emunctoria; illa nempe, cum præcipuus dictæ facultatis effectus ſit; hæc vero, cum vias indicent, per quas nocentia aut nocitura commode ſæpe foras pelluntur; quæ utraque probe cognoviſſe magnæ certe utilitatis.

§. XVI.

Ac primo quidem de Suppuratione. Quemadmodum autem illam Naturæ vim, quam ſupra (§. XIII.) deſcrip-

ſcripſimus, merito univerſæ Chirurgiæ fundamentum habendum eſſe, ut puto, adſtruximus; ita non minus Suppuratio magnam in hac arte habet poteſtatem, ut pote cujus beneficio longe maxima morborum pars, qui ad Chirurgos relegantur, externos vocant, ad ſaneſcendum diſponitur; ut jure dixeris, illam Vim (§. XIII.) ſine hac, pauciſſimis certe caſibus exceptis, mancam eſſe; illamque ſi cauſſam efficientem vocare libuerit, hanc non male inſtrumentum, per quod agit, appellaveris. Audiamus quæ de miranda hac Naturæ facultate tam egregie ſcripſit eximius Medicus *J. Grasbuis* in tractatu ſuo *de Suppuratione*, qui Lauream meruit; poſtquam enim Suppurationis definitionem dederat, quam actionem vitæ ſpontaneam eſſe dicit, quæque nullis adminiculis, aut ſaltem non niſi imperfecte admodum imitari poſſit; dicta explicat his verbis: *In corpore humano ejusmodi actio nullo modo excitari poteſt; niſi talis prius adfuerit diſpoſitio, quæ morbum in corpore præſentem, ad ſuppurationem aptum in eam inclinare faciat. Neque vel peritiſſimus Chemicus, arte ſua, ex humoribus noſtri corporis Pus producere potuit. Neglecta omni medela, Pus ſua ſponte efformatum ſæpe videmus in parte antea inflammata: imo reluctante arte, omnibus probatiſſimis auxiliis, ſæpe perficitur, quin & vel efficaciſſimis, e contra Medicamentis Maturantibus, ſeu Pus facientibus, nulla fit Puris confectio. Videmus enim quotidie, ultra ſpem intentionemque prudentiſſimorum Medicorum & Chirurgorum, ingentes inflammationes benigna reſolutione ſanari, ubi ſuppuratio diu fuerat exſpectata, & omni conatu promota; inflammatas, e contra, partes, in Suppurationem abire, licet optima quævis & ſelec-*

ſelectiſſima reſolventia & diſcutientia, mature ſatis & diu fuerint applicata. Inflammationem, cujus conſequens eſt aliquando Suppuratio, excitare aliquo modo poſſumus, hanc vero immediate producere neutiquam valemus. hæc quia tam pulcre omnem hanc Naturæ Vim exponunt, tota huc transferre volui; atque ex allatis patet, non minus ad Medicos, quam ad Chirurgos, dicta pertinere; quorum qui exempla deſiderat, hæc paſſim inveniet apud Auctores, tam qui internorum quam externorum morborum dedere hiſtorias; & unus inſtar omnium hic eſſe poterit Ill. *Boerhaavii* Commentator, ut in Chirurgicis, ſic paſſim alibi.

§. XVII.

Jam vero de Emunctoriis dicendum. Emunctoria nobis data ſunt, *ut quod ingreſſum domari nequit, aut quoquo modo intus ſubnaſcitur, acre mature, priusquam noceat, eliminari poſſit. Gaub.* pathol. §. 299. quem uſum non tantum præſtant in ſtatu naturali, ſeu ſanitate; ſed & in præternaturali quoque, ſeu morbis, egregia hinc redundat utilitas, ut pote per quæ morbi materies ſæpiſſime, cum εὐφορία, expellitur de corpore: quod cum veriſſimum omnes, vel praxin a limine ſalutantes, agnoſcant & experiantur, non opus eſt pluribus convincere: conſiderandum autem eſt, ut in ſtatu ſano naturalibus tantum viis Natura utitur, ad ejiciendum, quod retentum noceret; ita in ſtatu morboſo, non ſolum & his, & aliis, hoc officium mandari, quorum poſteriora ſeſe pro hoc tempore in emunctoria converti patiantur; ſed & nonnunquam, inſalutatis emuncto-

ctionis, aliorſum deferri morbi materiam, ibique abceſſus fieri per decubitum, quas vel ſponte ſua rumpi cernimus; aut quorum, ſi periculum in mora eſt, aperturam promovemus, natura tantum viam præmonſtrante. In ſtatu autem naturali tria tantum habemus emunctoria, Cutim nempe, Alvum, & Urinæ vias; his in ſtatu præternaturali & alia ſæpe adjiciuntur, ut ex hæmorrhagiis, ſputis, vomitu, hæmorrhoidibus, & quas alias præterea affectat Natura vias, patet: uti autem conſtat, nec hujus loci eſt exponere, non quodvis emunctorium quibusvis morbis convenire, neque perinde eſſe qualenam emunctorium materies excernenda eligat, quamvis tamen idem morbus, nunc per hoc nunc per illud ſine diſcrimine ſæpe ablegetur, id tantum hic attendi velim, ubi de eorum utilitate agimus; quod quemadmodum tota Pepasmi actio Naturæ opus eſt, ita & hæc ſola quoque, ſi quod eligit, eligat emunctorium, prudentisque adeo Medici eſſe, ſi non ſolvi prius poſſit morbus, Naturam, quo vergat, ducere, ſi bene, ſi autem male, abducere: unde ſummæ utilitatis eſt, antequam quis morbi curam ſuſcipiat, attente prius conſideret ſtatum morbi præſentem, & curioſe indaget, num ſigna quædam adſint, per quæ conſtet Naturam quandam evacuationem moliri, & qualem? quem uſum cum perſpiceret ſagax *Boerhaavius*, non omiſit hæc, in ſuis Aphoriſmis practicis, morborum curationi præmittere aut adjungere, quod quibusdam locis illuſtrare hic lubet: ita v. g. in febre ardenti curationi præmittit, hanc ſæpe ſolvi hæmorrhagia; ſolvi etiam vomitu, alvo, ſudore, urina, ſputo craſſo; ita in Phrænitide curaturum attendere debere inquit, quod phræniticis varices, vel hæmor-

morrhoides fluentes bonæ ſint, quod alvi fluor bonus; quod dolor ad pectus, pedesque, vel & vehemens tusſis ſuperveniens, & hæmorrhagia ſæpe malum ſolvat: ſic in Chronicis de Paralyſi dicit, ſolvere hanc Naturam quandoque depoſitione critica, aut febri vel tremore ſuperveniente, aut larga & diuturna diarrhœa; & Maniam, per remedia fruſtra tentatam, ſolviſſe Naturam per varices, hæmorrhoides, dyſenteriam &c. ut ibi & in multis aliis locis videri poteſt; tum & apud *Hippocratem* paſſim in Aphorismis eadem occurrunt monita.

§. XVIII.

Progedimur nunc, duce Cl. *Auctore* noſtro, ad alias Naturæ Vires Medicatrices, non paris tantum cum præcedentibus efficaciæ, ſed vel majoris dixeris, cum illarum effectus in harum integritate & fundamentum habeant poſitum, & quidquid medicati proferant, id unice his tribuendum ſit; uti ex ſequuturis, ſpero, pateſcet.

§. XIX.

Orditur has Cl. *Gaubius* his verbis: *Multifariæ autem, quibus corpus vivum pollet, vires motrices, quum rebus nocivis irritatæ ſemet exſerunt, præcipuum præſtant vitæ ac ſanitati præſidium:* & adſerti veritatem mox adſtruit, dum dicit, his motibus niti, quas huc usque tractavimus facultates. Quum enim ſine motu nulla aut fiat aut queat concipi mutatio, ultro agnoſcendum, & dictas, & omnes, quæ in corpore fiant, mutationes, a motu pendere: & quamquam primarium

Phy-

Phyſices objectum eſt *Motus*, nequaquam tamen ille, de quo hic agitur, cum Mechanico confundendus, imo vel nullo modo per hunc explicandus, quod vel ex effectibus, ad quos hic ſpectamus, clariſſimum, nullâ Mechanicâ imitandis. Ab his Viribus, ut pergit *laud. Auct.* pendent *motus automatici*, *irregulares quidem multimodis*, *at ſæpe beneficientiſſimi*, *certaque determinatione ad ſalutarem finem tendentes; etiamſi mente nec imperante*, *nec conſcia*, *& vel invita quoque fiant*, *hujusque adeo conſilio nequaquam tribui poſſint.* ne quis autem exiſtimet longo nos ſermone, quæ in concinna hac brevitate ἐνεργῶς continentur, enodaturos (commentatoris enim partes minime ſuſtineo, neque res integro quamvis tractatu digniſſima, quos mihi poſui limites, transgredi per otium nunc licet) ſed contenti erimus, quædam tantum & vulgatiſſima exempla in medium adduxiſſe: ut ergo taceam de febre, conſenſu &c. quæ huc pertinent, & de quibus mox dicendum erit; videte tantum quæſo quid fiat, dum alicui v. g. aut inter epulas, ut ſæpe fit, aut alia quavis occaſione, aliquid incidat in aſperam arteriam; quid non ſua ſponte Natura molitur, ut nociturum iterum expellat? quas non partes vel remotas in auxilium advocat? imo vel humores huc advehuntur, ut copioſiori excretione acre hoc obtundatur; idem videas dum quid nares irritat, orta & ſternutatione & copioſiori lymphæ excretione: quales quæſo eſſemus, ſi per curſum, v. g. vel mille aliis de cauſſis, humoribus validiore motu ad cor propulſis, non itidem cor ſe valeret, fortiori contractione, a copia, quæ cito id obrueret, liberare? & quæ non excitantur Naturæ molimina, dum vel minutiſſimus pulviſculus in oculum illabatur? & ſic

de ceteris; neque dictorum motuum, quas Natura tam appoſite producit, vel quidquam mutaveris! qui plura de his deſiderat, adeat quæ de his Naturæ adminiculis habet Cl. *Gaubius* in Cap. *de Acritate morboſa humorum*, quod in ejus Pathol. exſtat. Cum autem dicta molimina, & multa alia, in quovis hominum genere, & vel in ipſa ſanitate, quotidie videas, vel hinc, ni fallor, perducere ad ſuſpicandum, & infinitas alias, & diverſiſſimas ſimilium motuum ſpecies, in morbis eſſe debere, quibus Natura ſeſe ab hoſte liberet; quod cum ex dictis & dicendis non obſcurum ſit, ita nec hoc difficile ſit intellectu, quare ſubjungat hic laudatus *Auctor*, quod, *ſi his careret homo, nulla vel ſanitati conſtantia, vel morbo medela foret*; actumque eſſe de homine, ſi motus hi ſopiti ſint, neque ullis ſtimulis poſſint revocari, ut vel vulgus omni ſpe decidat, ſi veſicatoria, v. g. poſt debitum tempus in veſicas non attollantur. Neque inutile forte & id attendiſſe, quod externa facies hic multos ſæpe decipiat, & quos in vado eſſe crederes, occidere, quos contra ne vel horam ſupervivere poſſe jurares, emergere videas; ut pateat quam difficile quandoque ſit de his Viribus judicium, & quam veriſſimum iterum illud divi ſenis effatum τῆς φύσεως ἀντιπρηττούσης κενεὰ πάντα.

§. XX.

Inter multifarias autem illas vires motrices, quibus vitæ & ſanitati Natura invigilat, non immerito *Febris* principem obtinet locum, tum ob frequentiam, tum ob multiplices quos edit effectus, nec minus quia pleræque dictarum virium hujus ope indigent, qua tam mirabi-

les

ſes curas perficit, ut vel Natura vel Ars, tam ad ſanandos quam ad præcavendos morbos, auxilium potentius vix agnoſcat, & Medicinæ arcem attigiſſe dici poſſit, qui febrim bene moderari noverit: provoco ad *Sydenhamum* qui aperte dicit, in Epiſt. reſponſ. prima, & in diſſertatione epiſt. ubi affectus Hyſtericos incipit, Febres duas e tribus in Medicina facienda partes occupare; & in Sect. 1. Cap. IV. *Febrim ipſam Naturæ inſtrumentum* vocat, *quo partes impuras a puris ſecernat;* & rurſum in diſſert. epiſt. modo citata, dicit, *non alia methodo, quam accenſa febre, materiem in ſanguine peccantem Naturam noſſe amoliri.* & eadem paſſim alibi confirmat: atque hæc ipſa quidem jam olim *Hippocrates* notaverat, ut hinc dicat in libro de alimento (p. m. 297.): *Febrim communiſſimum morbum eſſe, inſidere omnibus aliis, & præſertim inflammationi;* unde Cl. *Boerhaavius* a Febre morbos internos inchoatur, & febrim vocat *frequentiſſimum morbum, individuum comitem inflammationis plurium morborum, mortis, & ſæpe ſanationis optimam cauſſam:* quæ ibi in commentariis exemplis probata videri poſſunt. ita cum diſcipulis ſuis communicavit in Lectionibus Pathologicis Cl. *Gaubius*, vidiſſe ſe ſcirrhum in mamma, qui in cancrum abiturus videbatur, reſolutum plane fuiſſe, inducta per Naturam quartana; dixerat autem jam olim *Veſalius* in Chir. Magn. L. V. Cap. XVI. deſinente Quartana tumores ſcirrhoſos contingere aut intrinſece aut extrinſece. Ita notiſſimum, & ab *Hippocrate* jam traditum, & dolores & convulſiones ſæpe ſuperveniente febre ſolvi; ſic quartanam Podagræ ſalutarem legimus; & Epilepticos hujus ope ſanari teſtatus eſt in ſcholis Cl. *Gaubius*. De-

nique (ut innumera mittam, quæ huc adduci poſſent) norunt omnes, plerosque, qui cœlum mutant, per febrim cum novo quem ſpirant aëre, conſuetudinem, ut ita dicam, inire, & velut innovari. Atque hæc quidem omnia, quamvis non niſi febris encomia contineant, abſit tamen, ut quis exiſtimet, velle me, febrim remedium potius, quam morbum, dici debere; mortis enim cauſſa (quam ſæpe eſt) rectiſſime a *Boerhaavio* dicitur, & aliquando plus nocet quam prodeſt: verum hæc omnia, cum hujus loci non ſint, ubi de viribus medicatricibus agitur, ſciens prætereo, relegans Lectorem ad citatos *Boerhaavii* commentarios, & ad Cl. *Auctoris* noſtri Pathologiam (§. 641.) ubi & noxios & ſalutares febris effectus aphoriſtice eſt complexus, & merito nimiam febris laudem *intemperantiam* vocat.

§. XXI.

Conſenſus ſequitur ſeu Conſpiratio, Συμπάθεια Græcis, ubi ob dolentem ſeu male affectam quandam partem etiam aliæ partes, & non raro totum corpus, motus quosdam concipit, data veluti opera in id directos, ut parti laboranti opem ferant: nam *humani corporis membrorum elegantiſſima eſt in ſumma varietate concinnitas, qua in unum omnia conſentiunt. Gaub.* Serm. de reg. mentis. Conſenſus hic dicitur particularis, dum una, aut quædam tantum partes, a læſa parte diverſæ, univerſalis, dum totum corpus huc concurrit; atque hinc tam mirabiles ſæpe turbæ in corpore oriuntur, & auctoribus memorantur, ut ſummo jure mirari liceat inexplicabilem hujus facultatis in corpus humanum poteſtatem.

tem.

tem. Ex innumeris autem & undique obviis, quæ huc ſpectant exemplis, en quædam! ita videas v. g. vulneribus Capitis, vertigini, adeſſe frequenter nauſeam, & vomitum, & inappetentiam; qui ventriculi cruditate, apepſia vel anorexia laborant, ſic vice verſa frequenter videas & caput dolere, & gravitate & vertigine corripi; imo vel a fame, etiam tolerabili, nonnullis caput dolet, dolore mox cum cibo ceſſante: dixit hinc *Sanctorius* Aphor. 346. (ubi vide Cl. *Gorterum*) Sympathiam quæ eſt inter ſtomachum & cerebrum in cauſſa eſſe, cur ciborum corruptela ſæpe ſomnos turbet. Sic in phrenitide & dolore capitis ſæpe urina ſiſtitur; unde convulſiones inſtare jam dixit *Hippocrates* in prædict. lib. 1. p. m. 77. ita in morbis pectoris ſemper ratio excretionis urinæ habenda, in capitis vero morbis alvi egeſtio notanda; unde quæ alvum ducunt hic, quæ vero urinam, illic tantopere laudantur: hinc aſthma & dyſuriam in invicem mutari videas; arthriticos & podagricos ſic ſæpe dyſuria laborare obſerves; nusquam autem frequentius quam in hyſtericis hos conſenſus videas; legendus hic omnino Cl. *de Gorter* in tractatu de inſenſib. perſp. C. XVI. N°. XVII. ubi & hæc & alia exempla habentur; quid autem magis obvium quotidie, quam vel tenellos infantes a dentitione totos convelli, eorumque tormina in Epilepſiam cedere? & quid non vel leviſſima nervi punctura efficit? ut ſæpe ſtimulo in unico tantum, ut ita dicam, puncto, hærente, univerſum corpus in conſenſum rapiatur; patet in genere Epilepſiarum, quæ ſiſti potuere, parti, unde malum in reliquum corpus propagari ægri obſervarant, ligaturâ injectâ. Sic vermes ſæpe in cauſſa eſſe

le-

leguntur, & mirabile hujus rei exemplum e transact. angl. narrat Cl. *Gaubius* in ſcholis, de Puero, qui ad ſeptimum usque ætatis annum frequentiſſime epilepticis convulſionibus fuit obnoxius, a ſeptimo autem ad undecimum annum adeo vehementer eas paſſus, ut ſtupidus eſſet ſenſibus internis & externis, etiam corpore mire deformato; pica laborans, omnia, quæ obviam erant, devorabat, & inter alia maſſam ex ceruſſa & oleo confectam, unde in Choleram incidit, multisque vermibus excretis ſanatus eſt. Sic & hoc de puella, quæ, eodem morbo laborans, in medio paroxysmo prophetiſſam ageret, quo tamen finito oblita erat omnium, quæ hoc tempore peregerat; ſanata & hæc eſt ſolis antihelminticis. Taceo de conſenſu, qui datur inter uterum & mammas, quem jam notavit *Hipp.* dum dicit in Lib. V. Aphor. 37. *Mulieri in utero gerenti, ſi mammæ ex improviſo gracileſcunt, illam abortire;* nec memoro univerſi corporis in excludendo fœtu conſenſum & infinita alia, quæ ob Sympathiam comparent phænomena: puto autem non immerito inculcari hanc Naturæ vim, cum ex dictis pateat poſſe, ob conſenſum, mali radicem hærere in parte longe alia, ac æger indicat, qui ſæpe non niſi de Symptomate maxime urguente quæritur; quod obſervaſſe, quis non videat ſummæ eſſe utilitatis! porro & id notari velim, ut ſalutares, ſic noxias ſæpe obſervari partium conſpirationes, nec omnes idem ratiocinandi genus admittere; repeti ergo & hic velim quæ in fine §. præced. de febre dicta, & in hoc etiam articulo utriusque generis exempla, datâ operâ, relata invenies, quorum hi ſalutem, illi interitum conſenſus minantur. Denique nec horum conſenſuum ra-

tio-

tionem explicare ſuſcipio, cauſſam me ignorare lubens fateor; & quamvis magnam eſſe nervorum in corpore noſtro poteſtatem non negem, & vel nonnullæ ſympathiæ ſeſe ſpecioſe inde derivari patiantur, per nervos tamen omnia, quæ hic concurrunt, phænomena explicari poſſe, minime admiſerim.

§. XXII.

Nec Mens humana quoque inter has Naturæ Vires Medicatrices eſt negligenda, nam ut rectiſſime canit Poëta.

Conſcia Mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemque metumque ſuo.

Menti ſcilicet humanæ, intime ſuo corpori junctæ, ſi corpori male eſt, bene eſſe non poteſt, ob mutuum quod inter ſe alunt commercium; *Mens* enim *&* *Corpus* (ut iterum verbis utar Cl. *Gaubii* ex Serm. de reg. mentis) *res plurimorum judiciis natura diſſimillimæ, quando in unum coëunt hominem, nexu tam arcto intimoque ſociantur, ut in ſeſe invicem penetraſſe, &, ſi Chemicorum more hic loqui licet, ſe mutuo ſolviſſe diceres: ita, dum vita viget, ubicumque mens eſt, Corpus eſt; Mens, ubi Corpus; nec ulla fere hominis particula indicari poteſt, in qua non una & Mentis & Corporis aliquid, atque adeo utriusque mixtura animadvertatur.* Quibus quidem ſano ſenſu intellectis, mirum non eſt, ſi & Mens ab imminente periculo excitetur, impetusque concipiat, quo hoc avertat: & duplici quidem modo hoc peragit, vel enim, ut inquit modo

laud. *Auct.* in pathol. *moleſta perceptio minantis mali, aut olim tolerati memoria, non modo impellit eam ad quærendum præſidium, ſive id evitatio cauſſæ cognitæ dederit, ſeu uſus auxilii, experimento, ratione, aut conjectura inventi:* ab his enim principiis orta Medicina adhuc durat (vide *Boerh.* inſtit. §. 4 & 5) nam inquietudo hinc in Mente oritur, cui reſiſti nequit, & Mens, ſemper cauſſam indagare ſollicita, remedium circumſpicit; atque hæc ratio cur quot Homines, tot Medici, cum vix quemquam reperias, qui non unum alterumve remedium, quo vel ipſe uſus eſt, quodve aliunde accepit, in medium proferre noverit, quo, ſi ſermo de his inciderit, laboranti ſuccurrat; quamvis & iſta commiſſeratio multis peſſime ſæpe cedat. *Sed ſuos etiam animus formidine periculi inquietus, concipit impetus, motusque in Syſtemate ſuarum functionum concitat, qui, licet ex inſtinctu potius quam ex conſilio profluere videantur, certiſſimum tamen tutaminis, aut levamenti adferendi ſcopum atque efficacitatem manifeſte declarant. Id.* ibid. nam quemadmodum in ſtatu naturali omnia & in Corpore & in Mente tranquille peraguntur, ſic in ſtatu præternaturali, non tantum corpus irregulares motus concipit, ſed & illæ vires motrices, quæ Mentis arbitrio, ſeu, ut dicunt, voluntati, ſunt ſubjectæ, non poſſunt non motus quosdam concipere, diverſos pro diverſitate cauſſarum, unde in actum deducuntur, quibus mens, ceterum liberam in has facultates nacta potentiam, jam ſui veluti juris non amplius exiſtit, ſed vel cogitur, & velit nolit ad iis obtemperandum protrahitur: videas id v. g. in animi pathematibus, in amante, in irato, in meticuloſo, quomodo non totum corpus amorem

prodat,

prodat, minas intentet, fugam loquatur; ut non mirum ſit, ut nocere, ſic & quandoque plurimum prodeſſe poſſe, dum omnes functiones perturbando, totum veluti hominem invertant; nec animi pathemata tantum hujus coactæ voluntatis effectus edunt, ſed & innumera alia, quorum quædam exempla, maximam partem, ex Cl. *Gaubii* ſcholis petita, in medium proferam: videas ſic v. g. dum quis partem quandam dolet, quomodo non omni ope mens caveat, ne partem moveat, & ſi vel non movere non poſſit, id motu peragat quam minimo: teſtes ſint pleuritici, podagrici, & arthritide correpti; & vel vulgatiſſima non negligamus, *Motus* volo *musculorum ſpontaneos, pro arbitrio non retundendos*, quos in lapſuro v. g. obſervare licet, cui mox, ne id quidem attendenti, extenduntur brachia, ut lapſum a facie avertant, & inexplicabiles muſculorum actiones præſto ſunt, ut corpus erectum teneant; alia iterum in perterrito, alia in aliis apparent phænomena: & quis nictitantes contineat palpebras, aut irrequietum firmet caput, ſi alter alterum, & vel præmonitum, uti ludibrii cauſſa vel inter pueros ſæpe fit, perterrere voluerit: utque iterum ad morbos redeam, quis prurienti ſcalpere vetabit? quamvis norit ipſe inde dolorem intendi. Qui Colica laborat, vix ſeſe erectum tenere valet, ſed vario corporis ſitu medelam quærens, etiam in anteriora curvatus pugnis ventrem comprimit; & dum in reſpirationis organum vitium aliquod hæreat, quomodo non omni molimine id levare conamur, uti in Orthophœicis videre quotidie eſt. Neque omittenda hic ſunt *quæ præter rationem toties ſeſe efferunt determinata rerum noxiarum faſtidia, aut medicatarum appeten-*

tiæ uti hic ſubjungit *Auctor.* per hæc enim Mens cogitur, ut moleſtis his ſenſationibus illa opponat, quæ ipſa Natura indicat: quemadmodum enim in ſtatu ſano & Fames & Sitis de cibo & potu aſſumendis nos admonet, ita in morbis & hæ appetentiæ, & hæc faſtidia, de neceſſariis ad morbum profligandum ægros adhortantur, & vel ad id cogunt; ſic qui putrido morbo laborat, horrebit ova, & carnes, & piſces, & ſimilia, quæ putridum alunt; contra acida adpetit & aceſcentia, morbo remedia; qui acido laborat, aut fauces vellicante acrimonia, a pingui in ſtomacho corrupto, ut familiare iis, qui nimis pinguia, aut præparatione culinari fere in rancorem verſa, amant, hos & cretam, & abſorbentia, & diluentia & obvolventia, & alia, acrimoniæ domandæ quam optima, avide aſſumere videas. Quot non habemus exempla, poſt Quartanas, ad omnia rebelles, enormem cujusdam rei adpetentiam ſuperveniſſe, cui dum ſatisfactum, hi morbi ſponte abivere, dum vel ingeſta cauſſæ directe fuere oppoſita, vel gravato inde ventriculo, & inducta cholera, morbus una cum excretis ſit expulſus: ita ex *Sydenhamo* narrat *Swietenus* ad aphor. 645. in fine cujusdam febris continuæ illos, qui evaſuri erant, incongruum aliquod & abſurdum aut cibi aut potus, importune efflagitaſſe, atque *Sydenhamum* id lubens conceſſiſſe. quid Gravidarum appetitus hic memorem, qui ſæpe quam ſingulariſſimi, & quarum duo notabiliſſima exempla ibidem ex *Tulpio* adduxit *Swietenus*; neque eſt cur nimium Gravidis ab his metuamus, præſto enim ipſis eſt ventriculus, qui mox expellit, ſi quid nociturum ſubintraverit, quod retentum, aut ob qualitatem, aut ob quantitatem, ipſis officeret. Agnoſcamus igitur

gitur iterum, cum fideliſſimo illo Naturæ obſervatore, *Sydenhamo*, admirandum Naturæ potentiam; magnus enim ille vir, ubi dixerat & teſtimoniis probaverat, ægrorum adpetitiones & deſideria impenſiora non negligenda eſſe, tandem ſic concludit: *In his omnibus naturæ, ut videtur, aberrationibus, quilibet in Praxi medica vel mediocriter verſatus, modo animum diligenter adverterit, facile concedet, ægros haud paucos, ubi primum ſpreto Medici dictamine genio ſuo obſecundaverint, ſe melius habuiſſe:* ubi quam maxime confirmantur, quæ jam olim de his dicta *Hipp.* in L. II. aph. 38. quod *Cibus nempe & Potus paullo deterior, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed inſuavioribus ſit anteponendus;* quem locum & ibi citat *Sydenhamus.*

§. XXIII.

Facultas denique *adſueſcendi*, utrique hominis principio indita, Menti ſcilicet & Corpori, non omittenda, ſed vel ideo quoque magis conſideranda, quia, uti inquit Cl. *Gaub.* in pathol. § 644. *hac ſi careret Natura humana, pauciſſimis ſanis eſſe contingeret.* Conſuetudo enim res innumeras, inter quas verſamur, nobis & jucundas facit, & quas, ex ratione, nocere debuiſſe diceres, medicatas; ut merito in proverbium abierit, Conſuetudinem alteram Naturam eſſe, ut vel lex fieri poſſit: quin mirabile maxime eſt, quod refert *Hippocr.* de Macrocephalis, in lib. de aëre, loc. & aq. dicit enim, in initio hominis inſtitutum longitudinis capitis cauſſam videri fuiſſe, Naturam deinceps ad inſtitutum acceſſiſſe; ſolitos enim fuiſſe infantum capita & manibus & faſciis

in longitudinem componere; ſucceſſu vero temporis in naturam id abiiſſe, ut proinde inſtituto nil amplius opus eſſet. Quidquid hujus rei ſit, id ſaltem conſtat, omnia nos conſuetudine debere addiſcere, vel ab ipſis incunabulis; quam primum enim in lucem edimur, novus quem ſpiramus aëra, nova omnia, nova quibus ſuſtentari debemus, alimenta; unde prudentiſſima Natura viam monſtrante, a fluidioribus, & facilius digerendis, ſenſim ad firmiora adſcendendum eſſe monemur; hinc & alvus nondum ſuis ſtimulis adſueta, aut ſtricta nimis, aut nimis laxa, ſæpe eſt in infantibus; & reliqua. Sed & inſtrumentorum ſui corporis uſum diſcere debet homo; at *quam imperfecte inſciteque in prima infantia inſtrumentis ſui corporis animus utitur! paullatim rectum eorum uſum addiſcit; per gradus veluti corpori ſuo, hocque illi adſueſcit, nec ſine ſtudio atque exercitatione frequenti facilitas tandem utrique venit ordinate, ac legibus Naturæ convenienter in ſocium ſuum agendi. Gaub.* ſerm. de regim. mentis. Nec quemquam fugit juniorum animos, pro educationis diverſitate, aut manſuetos reddi aut efferos, cumque majorum inſtitutis judicentur omnia, non eadem omnibus honeſta eſſe atque turpia. Uti autem multum juvamur conſuetudine in quibusvis actionibus tum Mentis tum Corporis exercendis, ita non minoris utilitatis & hæc eſt, in morbis tum præcavendis tum ſanandis, ut jam *Celſus* hinc præcipiat, hominem qui ſuæ ſpontis eſt, & bene valet, nullis ſe obligare legibus debere, ſed varium habere vitæ genus; qui enim v. g. non niſi ad ſtateram vivere ſueti, mox, leviſſima oborta tempeſtate, in doliis ſuis cum Diogene latent, & forte fortuna hoc tempore foras;

ras prodire neceſſe habent, hos videas malo leviſſimo graviſſime plecti cum Medico illo, de quo narrat *Hallerus* ad inſtit. *Boerh.* §. 1028. quod, cum ad ſtaticas Sanctorii leges vitam dirigeret, forte aëris minus ſalubris contactu leviſſimo, qui adſuetum alium minime læſiſſet, ita percelleretur, ut prædixerit ſe moriturum, ſteteritque promiſſis. Nec memorem conſuetudinem in neceſſitatem abire poſſe, quod ut ex infinitis aliis, ſic vel maxime exinde conſtat, quod, qui præſidia adverſæ valetudinis in ſecunda conſumunt, Naturæ ordinem turbant, illamque ad ſuos ſtimulos ſurdam reddentes, extraneis adſuefaciunt: mitto etiam quæ de venenis, uſu miteſcentibus, cuique cognita habentur, uti Nicotiana apud nos, & opium apud Ægyptiacos, quorum nonnulli id, teſte *Propſ. Alpino*, vel ad tres drachmas quotidie innocue aſſumſere, ſatis evincunt; quo & illud referri meretur, quod Cl. *Gaubius* narravit in ſcholis de Chemico quodam, qui quotidie, ſine noxa, vel unciam mediam Mercurii dulcis aſſumebat. Huc & aëris in quibusdam regionibus inſalubritas, indigenis ſalubris non tantum, ſed & medicata, referenda, ut multi hinc patriæ fumum igni alieno longe, anteferant, & apud *Cluverium* legatur, in inſulâ D. Thomæ, ubi aër valde nocivus, morbusque Endemius, quo omne pingue liquatur, Indigenas tamen plerosque ad centum fere annos vivere, exteros vero & peregrinos ultra quinquageſimum annum non progredi: quæ quidem & plura ejusmodi me nunc non detinent; patere autem ex dictis poſſe credo, quam veriſſime hic dicat Cl. *Gaubius*, *Conſuetudinem medicatrices cum mentis, tum corporis, vires quascunque in facilitatem agendi diſponere*, quod de

omni-

omnibus Viribus, quas hic pertractavimus, veriſſimum eſſe, cuivis attendenti ſatis patet. Corollaria autem, quæ hic ſubjungit Cl. *Auctor*, jam dicta ulterius probant, & adhucdum quotidie coram exploranti confirmantur. Maxima denique ex hac Naturæ facultate Medico redundat utilitas; nempe in ægrorum conſuetudinem ſedulo inquiſiviſſe (quod *Celſus* jam præcepit, dum dicit in præfat. *cum par ſit ſcientia*, *utiliorem tamen medicum eſſe amicum, quam extraneum*) conſuetudini, ex præcepto *Hippocr.* aliquid dandum noſſe; attendiſſe præterea, qualemcumque conſuetudinem, ſi quid mutandum, ſenſim, nunquam ſubito mutandam eſſe, non minoris certe eſt momenti, quam reliquas Naturæ Vires Medicatrices perſpexiſſe, quippe cum in hac, æque ac in illis, & curationis, & prædictionis pars non contemnenda, fundata ſit.

§. XXIV.

Atqui hæc tandem ſunt, quæ nomine Virium Naturæ Medicatricium veniunt, remedia naturalia; hæc *homini data*, *ut ſe adverſus plurimas morborum cauſſas tueri incolumem queat. Horum virtute efficitur*, *ut morbo longe frequentior ſit ſanitas*; *ut multi perraro morbis affligantur*; *nonnulli etiam in ſanitate nunquam interrupta conſeneſcant*; *magnus denique ægrotantium numerus ſponte*, *absque Medici ope*, *convaleſcat.* quibus difertis verbis (quorum veritatem ex dictis huc usque colligere facile eſt) quidquid medicati hæ Vires habeant, tam pulcre complexus eſt Cl. *Gaubius* in pathol. § 645. ut melius putem nihil addidiſſe, quam pauca dicendo dixiſſe.

dixiſſe fere nihil: quæ autem inde deduci poſſent conſectaria Medico-Practica nemo non videt; neque obſcurum eſt quanti ejus interſit, qui Praxin clinicam adgreditur, has Vires rite cognoviſſe, accurate perpendiſſe, & bene regere didiciſſe ex præceptis rationalibus; quando, ut inquit laudatus *Auctor*, §. ſeq. *indubium eſt, artem medendi non prima ſolum inde cepiſſe initia, ſed & ipſis his Naturæ viribus ita inniti, ut ſine illis exquiſitiſſima ceterum Medicorum omnium induſtria ne unum quidem ſervare ſanum, ægrumve ſanare poſſit.* additque: *iisdem qui prudentiſſime uti novit, artis faſtigium attigit.* Prudens autem illarum virium uſus nihil aliud injungit Medico, quam ut, teſte *Sydenhamo*, in præfat. *deficienti Naturæ ſuccurrat, effrænam coërceat & in ordinem redigat; ſola enim Natura, ut pergit,* τὰς νόσους κρίνει, καὶ ἐξαρκέει τὰ πάντα πᾶσι. *atque hæc omnia peragit Natura pauciſſimis, ſimpliciſſimisque, adjuta Remediorum formulis, alicubi etiam prorſus nullis.* noſſe igitur Medicus debet ubi agendum, ubi vero non; & ſi prius, agendi occaſionem arripere noſſe, quam jam ſuo tempore præcipitem dixit *Hippocrates*.

§. XXV.

Quæſtio denique ſupereſt, multum agitata, de fontibus nempe, unde hæ Vires profluant, ſtatuentibus aliis a Mente, aliis a Corpore, aliis & a Mente, & a Corpore ſimul, derivandas eſſe, uti plenius legi poteſt in citat. pathol. §. 647. & ſeqq. unde dum conſtat, neminem horum adhucdum nec vincere potuiſſe nec vinci, ſupervacaneum duco & his ulterius inſiſtere, aut unam

alteramve, quæ forte probabilior videatur, amplecti ſententiam; at cui quæſo bono? cum non videam artem medicam aliquid inde lucrari, aut melius ire poſſe; &, quod res eſt, medendi etiam methodo convenire omnino poſſint, qui diverſa de his ſentiunt: Rem igitur in medio relinquimus, cumque non unicum ſit quod ſcientiam medicam premat dubium, facile totam hanc quæſtionem inter illa retulerim, de quibus dixit ALBINUS; *Multa ſunt quorum cauſſam ignoramus, vim & effectum videmus.*

§. XXVI.

Et hæc tandem ſunt, quæ de Viribus Naturæ Humanæ Medicatricibus ſcribere collegeram, pauca quidem, ſed utinam bene digeſta! cujus rei quum penes Lectorem judicium ſit, vela contraho, dictisque impono

F I N E M.

COROLLARIA.

I.

Paucis contenta Natura, paucis tantum indiget remediis; non enim in quantitate, ſed in qualitate, τὸ εὖ ſitum eſt.

I I.

Simplicia igitur compoſitis, Naturalia arte factis, ſi par virtus, recte præpoſueris.

I I I.

Licet tamen in præſcribendis formulis conſuetudini aliquid dare.

I V.

Veſicatoria lateri, acute dolenti, adplicuiſſe, ſua non caret utilitate, ſed cum judicio; nam.

V.

Felices rerum eventus non ſemper Medicamentorum ſelectum comprobant.

VI.

Feſtinare ad placentam mox ab excluſo fœtu extrahendam plerumque non opus, &, ni quid urgueat, præſtat exſpectare donec partu ſecundo expellatur.

VII.

An excidentem in partu umbilicum, ut præcipitur, in uterum refundere tam facile? ne dicam impoſſibile eſſe.

VIII.

Suſtentaculo totum abdomen circumdediſſe, non tantum in puerperis ingentis eſt utilitatis, ſed & in aliis caſibus ſuo non caret effectu.

IX.

Et fungi ſeu ſarcomatis, tum ſcirrhi cancrive ſedem in celluloſa quæſiviſſe, non ita abſonum.

X.

Ab injuriis externis multa Embryonem in utero pati poſſe, quæ immerito matris imaginationi tribuuntur, non caret veroſimili.

HONORI ET MERITIS

PRÆSTANTISSIMI ET *ERUDITISSIMI*

VIRI

JOHANNIS JACOBI KOELMAN,

cum ſummos in Medicina Honores conſequeretur.

Στέφανος γερόντων τέκνα τέκνων, καύχημα δὲ τέκνων πατέρες αὐτῶν.

O quoties tacitas volvebat Muſa querelas!
Marmore quid Pario Nomina ſignat opus?
Quid juvat Aonii ſubiiſſe palatia Pindi,
Templaque Dardanidum quid coluiſſe juvat?
Otia quid Muſis? ſtudii quid inutilis uſus,
Præmia quæ, vigili digna labore, feret?
Sulmius Euxinas miſer eſt relegatus ad undas,
Paupere Mæonides luſerat ire pede.
Stemmata Caſtalides ſignent Samiæque Sorores,
Quodve canat tibiis dulce, Thalia, melos.
Nil doctrina valet, vis indefeſſa laboris
Haud, ab inexhauſto dona vigore refert.

Ecquid ego! hæc repetens quo me malus abſtulit error!
Fontis Hyanthæi cur juga viſa ſequax?
Aſt ſicuti tenebris renitentia ſidera raris
Ardua ſcintillâ flamma renata levi.
Scilicet auſpiciis redeunt nova gaudia fauſtis,
Et, nitido fulgens æthere, ſacra Dies.
Limina clauduntur Jano, non Scylla minatur,
Nec furit in tumidas ſæva Charybdis aquas.
Sit ſacer ille Dies! nec fallunt vota canentem,
Nomina ſplendoris non leve pondus habent.
Inſignis magni, per te, rediviva Parentis
Gloria Virtutis, conſpicienda micat.
Inclytus, ut Phario de ſanguine, ſurgit Alumnus,
Cui novus irritat ſtamina prima calor.
Enthea vis animi primis rutilabat ab annis,
Fama recens ſuavi fragrat odore diu.
Irradiat caſtos Divina Scientia mores,
Ornamenta tuæ non peritura domus.
Hæc, quamvis gracili moduletur arundine Vena,
Accipe, ſi placeant, pignus amoris habes.
Quam mihi carus eras, puri candoris imago,
A teneris fidei credita gemma meæ:
Mutua Linguarum commercia lumine pectus
Imbuerant, ſacras dum tibi pandis opes.
Poſthinc, Amſteliis Muſas veneratus Athenis,
Splendida ſunt Batavi ſidera viſa Soli.

In-

Inter Liligeros Colles & amœna Vireta,
Hauſiſti medicæ lucidiora rei:
Diva Minerva favet! nunquam ſatiata voluptas
Objectis oculos paſcere mille dedit;
Ut fibras minimas, miraque indagine mentis
Naturam jubeas prodere quidquid alit.
Lumine divino, docto ſermone, Medentis
Naturæ Vires, plurima poſſe, refers
Et ſalibus blandis quicumque febriliter ardent
Eripis Elyſiis, qua via ducat, agris.
Non ut Agyrtarum fictis ludibria technis,
Queis, dolor heu miſeris! dulcis Hygeia gemit.
Qui ſicut in tenebris, incerta ſede vagantes,
Ferre ſolent, dubii num via tuta, pedem.
Corpora vulnifico non tot mucrone cruentat
Atropos, aut Furiis dilaceranda rapit.
Quanta ſalutiferæ ſervantur præmia dextræ,
Quum cadet imperio trux Libitina tuo.
Quid? non magniloquis hæc ſunt præconia verbis,
Sancta putes ſacris thura relata focis.
Nullus in orbe mihi te vivit amicior alter,
Pectora, Theſeus, noſtra, ligabat amor.
Proh pudor! heu pietas ſpreta eſt, infamia ſæclo!
Et ſcelerata fides templa domosque tegit!
Quo male fraterni tendit fallacia verbi,
Fictâ ſub titulis fraude latente bonis.

Iſta

Iſta Saracenis deſunt mendacia vultus,
  Turpe nefas ſanctam poſthabuiſſe fidem.
Non tua tam rigidis turgent præcordia venis.
  Sanguine de Batavo cordis acerra calet.
Vita brevis, lapſis quamvis defloreat annis,
  Et pede feſtino cana Senecta premat.
Temporibus hederæ deerunt nec plurima laurus,
  Nomina Poſteritas devenerata colet!
Sidera ſumma petas tarde, poſt fata beatus,
  Adſpirent auſis Numina blanda tuis.

ANTONIUS WILHELMUS SCHAAF, Car. Fil.

Med. Doctor.